



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Vincentii Brvni, Societatis Iesv, Meditationes, De  
Præcipvis Mysteriis Vitæ & Passionis D. N. Iesv Christi**

Cum Veteris Testamenti Figuris, & Prophetijs, varijsque Documentis ex  
quoque Euangelio depromptis, Nunc ex Italico in Latinum translata

Meditationes in Passionem Et Resvrrrectionem D. N. Iesv Christi

**Bruno, Vincenzo**

**Coloniae Agr., 1599**

**VD16 ZV 2606**

Meditatio 7. Vt Christus inter cænam prodicionem sui aperuerit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59870](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59870)





# MEDITATIO

## SEPTIMA:

VT CHRISTVS INTER CAE-  
nam proditionem sui a-  
peruerit.

EVANGELIVM.



VM hæc dixisset I E-  
s v s, turbatus est  
spiritu, & protestatus  
est, & dixit: Amen di-  
co vobis, quia vnus ex  
vobis me tradet, qui  
manducat mecum, Aspiciebant er-  
go discipuli ad inuicem, hæsitantes  
de quo diceret. Et contristati valdè,  
cæperunt singuli dicere: Nunquid e-  
go sum Domine? at ille respondens  
ait: Vnus ex duodecim, qui intingit  
mecum manû in catino, hic me tra-  
det. Væ autem homini illi, per quem  
filius hominis tradetur. Erat er-  
go recumbens vnus ex discipu-  
lis eius iu sinu I E s v, quem

*Matt. 26.*

*Marc. 14.*

*Luc. 22.*

*Ioan. 13.*

D 4 dili-



64 MEDITATIONES

diligebat IESVS. Inuit ergo huic  
Simon Petrus, & dixit ei : quis est,  
de quo dicit? Itaque cum recubui-  
set ille super pectus IESV dicit ei  
Domine quis est? Respondit IESVS:  
ille est, cui ego intinctum panem  
porrexero. Et cum intinxisset pa-  
nem, dedit Iudæ Simonis Iscariotis.  
Et post buccellam intrauit in eum  
Satanas. Et dicit ei IESVS: quod fa-  
cis, fac citius. Hoc autem nemo sci-  
uit discumbentium ad quid dixerit  
ei. Cum ergo accepisset ille; exiit  
continuò. Erat autem nox. Cum er-  
go exisset, dixit IESVS: Nunc cla-  
rificatus est filius hominis, & DEVS  
clarificatus est in eo; & continuò  
clarificabit eum.

FIGURAE.

**A**CHITOPHEL cum admissus  
esset ad intima Davidis Regis co-  
siliium, coniuratione contra illum cum  
Absalone iuncta, auctor fuit ut trucidar-  
etur David.

PROPHETIÆ.

**S**i inimicus meus maledixisset mihi su-  
perius.



*stinuissim utique, & si is qui oderat me, Psal. 54.  
super me magna locutus fuisset; abscon-  
dissem me forsitan ab eo. TV verò homo  
vnamis, Dux meus, & notus meus,  
qui simul mecum dulces capiebas cibos.*

## CONSIDERATIONES.

**T**VRBATVR hic ille, qui cælum *L. Punctū.*  
serenat, tranquillat mare, ventos par-  
cat, pacem & solatium adfert omnibus.  
perturbatis & mærentibus animis. Heu  
mihi! quàm dura hæc sunt verba tua  
suauissime Domine, quàm amari cibi  
quos discipulis tuis ad cænæ finem re-  
seruasti! iam iam lac & mel præbebas; in  
sanctissimo corpore & sanguine tuo:  
nunc cum intelligunt, dulcem Magistrū  
suum, custodem suum, Pastorem suum  
ab vno ex ipsis prodendum morti, acci-  
piunt nimitum in hac oratione tua fel-  
& amarissimum absynthium.

Miseros vos, o discipuli, qui nunc tan-  
tum doloris concipitis, quod vnū de vo-  
bis Magistri proditorem fore intelligen-  
tis; quanto acerbior esset vester dolor, si  
nunc sciretis, quid paulò post facturi si-  
tis. Omnes ad vnū à magistro delabi-  
mini, vt sitis solitarii sicut oues absque  
pastore. heu! quæ vobis in illud tem-  
pus paratur cæna, multò acerbior hac

D S. ipsa.



ipsa. In illa non cum magistro vestro accumbetis, neque, sicut modò, ex eodem cibo vnà cū ipso comedetis: sed dispersi, trepidi, cum gemitibus & suspirijs carentes pane vitæ, quem nunc vobiscum habetis, inducabitis panem doloris, madefactum aqua lacrymarum. Et tibi, IESV bone, scienti omnia, quomodo sapiebant cibi huius mensæ, cū videres venenum, quod in corde Iudas fouebat, & improbas impia mentis cogitationes? nullum sanè bolum gustabas, qui non proditionem, fel & mortem saperet. Sed tanta erat tamen vis mansuetudinis tuæ, vt permitteres manum proditoris tecum in eadem patina & cibo versari: atque vt illum minus pudore coram alijs perfunderes; dissimulas & tegis, solùm generatim verbis obscuris admonens, vt respiceret se aliquando, & scelus meditatum relinqueret.

Turbatur & dolet benignissimus Dominus nondum timore imminentium suppliciorum, quæ sibi apparatus noverat; sed mero amore & misericordia discipuli, qui ipsum proditurus, & quod consequens est, se proditurus erat. Vide quibus verbis id factum amplificat, prius signa turbationis ostendens, deinde



deinde pronunciat : *Vnus ex vobis me tradet*; Turbatur autem primò, quod vnus pereat. Tam enim angitur vnus interitu, quàm omniũ. Bonus planè Pastor, qui ad vnam ouiculã recuperãdam reliquit ceteras omnes in cœlestibus illis montibus, & cum tanta sua fatigatione & molestia ad vnicam quærẽdam, in huius mundi loca sola descendit. Altera erat turbationis causa, quod vnus hic esset ex suis, id est, ex ijs quos magis tenerè amabat, & quibus plus fidebat quibus denique plus gratiæ & donorum cœlestium impertitus erat. Tertio turbatur, sceleris atrocitate proditiõis scilicet nefario & horrendo crimine, Quarto sua qui prodebat conditione : vt qui esset amãtissimus illius Magister, & Dominus, & Deus.

O suauissime I E S V, si in tantam perturbationem & mœrorem coniecit te vnus discipuli tua vna proditio, quantum credibile est perturbationis & doloris cordi tuo attulisse meas tam multas proditiões, & tot iniurias, quibus per totam vitam affeci Maiestatem tuam? & si interitu vnus tantum doles; quem cruciatum fuisse putabimus illum in anima tua perpetuum, cum videres tam raros, quibus profuturus

D 6      esset



## 68: MEDITATIONES:

esset sanguis tuus, tam innumeros contra, qui eo contempto ad æternum ruituri essent exitium?

Vide quanta sit in D. N. suauitas & bonitas, in quot partes se vertat, vt vnicam animam ad interitum ruentem seruet. Vt enim ludam auerteret à scelerere, atque ad pænitentiam reduceret: tentauit primò benefactis illum vincere & amore, vt cum illum ad suam mensam admisit, cum illi pedes lauit, cum illum tam familiariter alloquitur. Deinde pudore: cum indignitatem criminis illi indicat. *Qui mecum mittit manum in scatinam, illi me traditurus est.* Denique miscet & minas, & timorem intentat, cum inquit: *Væ homini illi &c.* è contra vide perfidiam & duritiam ludæ, quem neque familiaritas, neque humilitas Christi, neque suauitas verborum, neque paterna reprehensio, neque timor denique & horror insequentis vindictæ, à concepto facinore retardare potuerunt. Væ animæ, quæ incipit locum dare Diabolo, & à Christo recedere, ita enim se ipsam indurat, vt salutis sibi omnem spem & rationem ferè præcludat.



## COLLOQVIVM.

**P**ETE à Christo D. N. vt quoniam tot modis vsus est, bonus ipse Pastor, vt à peccato discipulum reuocaret ad Pœnitentiam; te quoque abstrahat ab errore defectuum. Simul vires tibi largiatur, vt inimicum, perpetuo ad nos fallendos intentum, & incautos ad præcipitium peccati adducere cupientem, fortiter pugnando vincas, vt sic ipse diuina gratia subleuatus, ad eam peruenias claritatem, qua electi eius in cælo fulgent.

## DOCUMENTA.

1. **C**VM indigni ad sacram mensam accedimus: tum manus tradentis Christum, est in mensa cum ipso. Sic enim in speciem simulamus, nos inter amicos cupere cum illo canare; reuera licet foribus illum per peccata nostra ad Crucem tradimus.

2. Christi lenitatem imitabimur, si nõ subito commoueamur, & ad pœnam proximum & fratrem damnemus, cum vel imperfectionis aliquid in ijs videmus, vel iniuriam accipimus. Mansuetus homo potius illum cum amoris significatione sub-

D. 7.

leua-



## 70 MEDITATIONES

leuabit, & preces ad Deum fundet, ut gratia inter ipsos redintegretur.

3. Misit primum Diabolus cogitationem proditionis in cor Iuda, deinde ingressus est ipse ad rem perpetrandam. Principijs cogitationum malarum, & Diabolicarum suggestionum obstemus: ne si cum delectatione ijs immoremur, paulatim aperiamus illis ostium consensus, quo demon ingressus omni nos spoliet gratia.

4. Peragamus opera nostra luci, non in tenebris nocturnis, quod Iudas fecit. Nihil in abdito faciamus, quod idem coram omnibus non essemus facturi. Similiter homines Spiritui dediti & religiosi, caueant, ne quicquam ex actionibus pijs, quas priuatim etiam exercent, occultum esse velint, ut id nec Patribus spiritualibus, nec Superioribus aperiant: ne & ipsi, Iuda instar, in fraudem illecti à Diabolo, precipitium aliquod incurrant.

5. Erubescamus apud nos, quod tam parum imitemur caritatem Christi, occultè ille reprehendit, nec proditorem vult prodere: at nos peccata nostra ignota esse cupimus, de alienis & promptè fabulamur, & ea nota esse volumus omnibus.

6. Ioannes, qui gratiam significat, requiescebat in sinu Christi, cui Christus, quis



DE PASSIONE DOM. 71

quis esset proditor, secretò aperuit. Laboremus & nos per cordis puritatem, ut apud Dominum gratiosi simus. Sic enim per cõtemplationem digni erimus, qui & nunc in dulcissimo Christi pectore cõquiescamus, & olim ad arca. da illa caelestia admittamur.

7. Christus passionem & depressionem suam appellat gloriam & claritatem, qua glorificabit illum Deus. Quàm diversa sunt iudicia Dei & hominum! Homines claritatem suam in honoribus, amplitudine, & rebus secundis huius vita collocant: Deus aterna Sapiencia,

in contemnendo seipsum

& patien-  
do.

MEDI-